



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicationis, Patrocinij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 2. Quomodo fabula paschalis narrari possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

indicavit dicens: Exinanivit semetipsum formam servi accipiens Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & DEVS exaltavit illum &c.

§. II.

Quomodo Fabella Paschalis narrari possit.

Thema.

Surrexit, non est hic. Marc. 16.

Scopus.

Demonstranda vanitas omnium rerum extra DEVM.

Syllogismus principalis.

Omne id, quod invito homini eripi potest, vanum est; Sed omnia, quae extra DEVM sunt, invito homini eripi possunt; Ergo omnia extra DEVM vana sunt.

EXORDIUM.

Non dubito, quin Paschalem hodie pro more fabellam à me expectetis; quare ne desiderium Vestrum diutius suspendam, jam nunc incipiam fabellam vobis narrare tantò amceniorē & gratiorē, quantò aptior est ad doctrinam saluberrimam, Festisquē praesentibus perquam accommodatam inculcandam.

Narratio.

Euclyonem ajunt fuisse, qui, cum sonacitate sua ingentes opum thesauros coacervasset, miris angebatur sollicitudinibus, ubi tandem has opes securè asservare posset, sciebat nempe malè paratè malè plerumque dilabi: Sciebat infidam esse Domesticorum custodiam, maximè ubi de proprio commodo agitur, Sciebat, nullam seram adeò firmam esse, quæ cleptorum insidiantium astu ingenioque frangi & referari non queat. Quare cum omnia fraudibus & direptioni obnoxia videret, tandem consilium concepit, ejusmodi locum eligendi, qui vel minimam etiam latentis thesauri suspicionem movere non posset. Habebat in sua domo sacellum parvum

parvum quidem, sed amabile, & devotioni fovendæ non parum opportunum. In eo, ut suo tempore pios aliquos affectus in se aliisque concitaret, sepulchrum fieri iusserat ad illius normam, in qua Servator noster per triduum defunctus jacuerat. Hunc ergo securissimum thesauro suo custodiendo locum rarus, cistam prægrandem sub eo abscondit, & nulla latentis thesauri suspicio cuiquam moveretur, hanc tulum sepulchro inscribi jubet: *Hic iacet Christus sepulchrum*. Et sanè videbatur thesaurus extra suspicionem positus, cum nemo sepulchrum illud utpote immobili loco affixum aut scrutaturus, aut intraturus crederetur. Verùm cum Familiorum quispiam sæpius Dominum, quàm alias conluere, Sacellum intrare, & semel etiam iterumque admotis auribus pecunias numerare advertisset, id, quod res erat, suspicatus Sacellum eo absente scrutari cœpit, nec difficulter latentem cistam invenit; inito ergo cum Sociis consilio, cum Dominus quondam longiori morbo affixus lecto teneretur, pecuniam reſerata cistâ exemit, tituloque sepulchri ablato, hanc substituit: *Surrexit, non est hic*: fugâque cum Sociis arrepta salutis suæ consuluit. Quantum verò postea Dominus ad Sacellum rediens ex lecto titulo, thesauroque amisso dolorem conceperit, facilius est conijcere, quàm verbis explicare.

Applicatio.

Atque ita quidem finxerunt nonnulli; verùm ego, dum vanas hominum occupationes, tristesque eorum exitus accuratius perpendo, non jam figmentum, sed veram historiam esse censeo. Quis enim non quotidie ferè quàm plurimos simili actu à Dæmone, Mundo, & carne, pessimis utique locis decipi, bonisque suis spoliari advertit? Unum duntaxat alterumque oculis subijcio. Quis unquam majores thesauros quàm ditissimus Salomon collegit? quis unquam divitiis affluxit ut ille? *coacervavi mihi*, inquit ipse Eccles. 2. *argentum & aurum, & substantias Regum & Provinciarum, & prægressus sum opibus omnes, qui ante me fuerunt in Ierusalem. Sapientia quoque perseveravit mecum, & cum illa omnia bona pariter venerunt, & innumerabilis honestas per manus meas. Et omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis.*

nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oble-
 sceret se in his, quæ pradaraveram. An non huic cordi in-
 scribi poterat: Hic est felicitas sepulta? sic certe plerique;
 sic Regina Saba 3. Reg. 10 exclamans: Beati viri tui, &
 beati servi tui hi, qui stant coram te semper, & audiunt Sapien-
 tiam tuam: sic ipse Salomon crediderat dicens: Vadam, &
 assuam delicias, & fruor bonis. Sed audite, quàm splendide
 deceptus sit: Cumque me convertissem, inquit, ad universa o-
 pera, quæ fecerunt manus meæ, & ad labores, in quibus frustra
 sadaveram, vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem, cordi-
 que adeò inscriptum est: Surrexit, non est hic. Aliud & re-
 centius exemplum à Cantipratano in lib. apum narrat his
 verbis: Propè nostra tempora fuit Mulier nobilissima Ma-
 ria Campaniæ Comitissa: hæc nupta nobilissimo Henrico
 Campaniæ Comiti, Filia fuit Ludovici Pij, & Soror Philippī
 Regum Francorum, quatuor Reges Fratres in Anglia habuit.
 Hæc multis annis mortuo Marito cum pomposissima ambi-
 tione circueiens & morientialem finem sortita est. Labora-
 vit enim in extremis, & Abbatem Persaniæ Sanctissimum &
 eloquentissimum virum migratura venire mandavit. Qui,
 ut venit, intromissus non est, & præ foribus expectavit; jam
 enim Comitissa decesserat, & distrahebantur à Militibus &
 Ministris suis utensilia, vasa aurea, & argenteæ vestes pretio-
 sæ, culcitraeque purpureæ, & ta nem linteamina ipsa cum
 peplis. Extremo unus ex Garfionibus, morâ nimia retarda-
 tus, lectum per cornua comprehendit, & resupinatum corpus
 emortuum, eminus, in stramenta devolvit. Moras autem
 Abbate cum tædio sustinente, quidam Nobilis ex circum-
 stantibus indignatus, offium infregit violenter, & virum Ve-
 nerabilem intro misit. Qui, cum introisset, & nobile illud
 corpus nobilissimæ Comitissæ nudum in stramento reperis-
 set, volente quodam ex Familia illud straminibus operire.
 Abbas exempli providus non sinebat, sed libera voce clama-
 bat: O vos omnes cernite pompam nobilissimæ Comitissæ
 Mariæ; videte, illud delicatissimum corpus quanto dedecore
 pudoris obvoluitur: videte, quid ei pro multiplici honore
 & gloria mundus exolvit. Ecce quàm stulta illi Mundus
 commutatione conclusit. Huc usque Cantipratanus. An
 non hic iterum jure inscribi poterat: Surrexit felicitas, non
 est

est hic. Et si hi, qui tam copiosas divitias, honores, & voluptates possederant, non nisi vanitatem & afflictionem Spiritus in illis reppererunt, quomodo vos in minoribus longepibus, dignitatibus & voluptatibus aliud sperare poteritis? *Vt quid ergo, o Filii hominum, diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* & ut S. Anselmus loquitur, *quid vagatur, o anima, per multa, quærens bona corporis & anima? quærens bonum, in quo est omne bonum, & sufficit.* O utinam vel nos exclamaretis cum S. Davide Ps. 54, *Quis mihi dabit pennam, & volabo, & requiescam?* illius scilicet columbe, quæ Gen. 8. cum non invenisset, ubi pes eius requiesceret, reversa est ad Noë, qui idem ac requies significat, atque adeo DEUM convenienter representat? Ita sanè exemplo suo docuit Magister Rolandus Cremonensis, uti in Viris Prædicatorum p. 4. c. 8. legitur, qui, cum in Festo quodam de Scario panno haberet novas & pretiosas vestes, & solemnibus repletis cum Sociis interfuisset, & totam illam diem in luctibus vanitatibus, & huiusmodi vana gloria transegisset, nocte autem se reversus tacite intra se dixit: ubi est festum, quod fecimus, & tota lætitia illa, quod abiit? Videns ergo, quod omnis mundi lætitia citò transit, & ad dolorem convertitur, sequenti die Ordinem est ingressus, in quo multis annis delevit Domino, Sanctitate, famâ, scientiâ & doctrinâ præclarus. Merito ergo exclamat & conqueritur de plerisque hominibus DEUS Deut. 32. *Gens absque consilio est, & sine prudentia. Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent.* Ergo de vobis quoque id aliquando queri possit, vos læpiores estote, & novissimam omnium terrenarum rerum vanitatem frequenter & accuratè perpendite. Mementote, quod S. Augustinus S. 30. de Sanctis dixit: *Scimus, Fratres, quod omnis homo gaudere desiderat, sed non omnes ibi quærunt gaudium, ubi oportet; nam cum ea diliguntur, quæ possunt amittere, voluntatem amittere, necesse est, ut pro iis miserrimè laborent.* Hinc merito alibi hortatur: *Qui vult gaudere de se, tristetur. Qui autem de DEO gaudere vult, semper gaudebit, quia DEUS sempiternus est.* Talis namque experietur id, quod Abba Deicola olim confessus est, qui, cum inter media etiam momenta lætissimum semper se ostenderet, causam lætitiæ rogatus dixit: DEUM meum nemo mihi eripere potest.

tis autem scire, quomodo DEUM retinere, & in eo gaudere possitis? audite iterum S. Augustinum in Epist. ad Macedon. dicentem: *Ad DEUM, qui ubique presens est, non pedibus licet ire, sed moribus; mores autem nostri non ex eo, quod quisque norit, sed quod diligit, diiudicari solent, nec faciunt bonos vel malos mores, nisi boni vel mali amores; opera ergo bona, seu actus virtutum, puta charitatis divinæ, religionis, obedientiæ, iustitiæ, patientiæ, perseverantiæ, & similia, hæ sunt veræ divitiæ, quæ ad omnia, præsertim autem ad æternam felicitatem comparandam sunt utiles: has solas nunquam contra voluntatem nostram amittere possumus: hinc tam sollicitè monet Servator Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo, ubi neque arugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur.* Verè enim, ut Apoc. 14. DEUS scribi iussit, *beati mortui, qui in Domino moriuntur.* Amodo iam dicit Spiritus, *ut requiescant à laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos.**

Epilogus.

Ut ergo finem tandem faciam concioni, omnes vos cum Ecclesia illis S. Pauli Coloss. c. 3. verbis adhortor: *Si surrexistis cum Christo, quæ sursum sunt querite, ubi Christus est in dextera DEI sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Si ergo hætenus felicitatem vestram in divitiis perituri posuistis, mementote semper, olim de illis dictum iri: Surrexerunt, non sunt hic; ideòque veras & immortales divitiæ bonorum operum & virtutum, quæ invitis eripi non possunt, querite, & congregate. Si hætenus felicitatem vestram in voluptatibus vanis posuistis, cogitate, de his quoque olim dictum iri: Surrexerunt, non sunt hic, ideòque tales voluptates querite & gustate, quas semper & ubique habere possitis, quales sunt quæ ex DEO & bonis operibus, ex pura Conscientia hauriuntur. Si denique felicitatem vestram in honoribus posuistis, cogitate, & hos vanos esse, brevique duraturos, atque adeò de illis quoque dictum iri: Surrexerunt, non sunt hic: Tales ergo honores querite & affectate, qui ex vera & stabili radice, videlicet ex virtute oriuntur. Verbo: id unum semper tenete, id unum sentite, id unum ore, opereque profitemini: *Vanitas vanitatum, & omnia*

omnia vanitas, prater amare DEVM & illi soli servire
Amen.

Alii Conceptus Primus.

Ad hunc finem potest etiam servire fabula de Lupo, et à Rustico in ovili deprehensus, jamque fuste mactandus summis precibus vitæ gratiam exoravit, firmissimè promittens, se nunquam deinceps ultra quantitatem septem obolorum emendam vocaturum. Hæc ergo conditione dimissus paulo post, dum ad Silvam revertitur, vaccam præpinguam vitulo pariter bene impinguato in prato pascentem reperit. Quid ageret? ex una parte tam bona occasio pinguis epuli nunquam tam facillè reditura ad devorandam vaccam vitulumque invitabat; ex altera verò parte memoria promissi paulò antè Rustico facti à meditato facinore abstergebat. Ut ergo & occasionem tam optatam non negligenter simul etiam fidem Rustico datam inviolatam servaret, hoc modo secum rationabatur: Promissi Rustico, me vocaturum quantitatem septem obolorum nunquam excessurum; hæc conditionem autem in devoranda hæc vaccâ, vituloque servare possum; nam vacca cum non adeò magna sit, vix majori, quàm quatuor obolorum pretio stabit; vitulus vero potest minor vaccâ, etsi bene impinguatus sit, vix tamen trium obolorum pretium excedit. Quare utrumque aggressus mactavit, & devoravit.

Ex hujus fabulæ occasione explicari possunt causæ, et post tot confessiones Paschales tam parva emendatio sequitur; dici namque potest, idem permultis, quod huic Lupo evenit, accidere. Deprehenduntur namque & ipsi à Confessario & DEO in gravibus criminibus, ob quæ mortem æternam promeriti fuissent, & quia emendationem pollicentur absoluntur, & liberi dimittuntur; Sed vix tempore egrediuntur, & mox occasione oblata iterum in pericula se committunt, dicentes, Confessarium non occasiones, sed ipsa peccata prohibuisse; sicque dum pericula amant, pereunt in illis. Sed quæ horum causa? quia cum Lupo radicem, id est, concupiscentiam inordinatam nunquam deponere student, quod quamdiu non agunt, frustra seria emendatio speratur, nam Sapienter pius Aseeta l. 3. c. 27. dixit, *inuat non qualibet*

adepta vel multiplicata exterius, sed potius contempta & decisa ex corde radicitus. Munus parum locus, si deest Spiritus fervor, nec diuturnabit pax illa quaesita forinsecus, si vacat à fundamento status cordis, hoc est, nisi steteris in me, permutare te potes, sed non meliorare. Nam occasione orta & accepta invenies, quod fugisti & amplius. Tene ergo, inquit idem c. 32. tene breve & consummatum verbum, dimitte omnia, & invenies omnia. Relinque cupidinem, & invenies requiem; Quando celerius hoc agis, tanto melius habebis: & quando plenius & sincerius, tanto plius DEO placebis, & amplius lucraberis. Quae omnia facile possunt per particulares casus amplius diduci & amplificari.

Conceptus Secundus.

Perquam utilis etiam doctrinae occasionem sequens fabella offert. Hinnulus vivebat in silva, qui, cum frequenter sibi insidias à bestiis, canibus, Venatoribus paratas esse adverteret, ex quibus difficulter se per fugam eripuisset, per tæsus tandem tam inquietam, curisque repletam vitam statuit extra silvam asylum quærere. Egressus itaque è silva in gregem ovium in campo pabulantium incidit, quas cum quieret admodum pacificèque vivere, & insuper Pastoris canisque præsidio securas degere adverteret, ad Pastorem accessit, atque, ut se quoque ovibus suis accensere vellet, etiam atque etiam rogavit, velle se quoad omnia moribus & Genio ovium se accommodare. Cum ergo concessisset id Pastor, egressus cum ovibus ad Pascua, iterumque regressus ad ovile Hinnulus, magna sibi videbatur quiete felicitatèque frui. Sed cum post aliquot hebdomadas Sacrificuli quidam ovile ingressi oves quasdam abduxissent, quærénsque Hinnulus ex aliis ovibus, quo illæ ducerentur? intellexisset, eas ad Sacrificium, quo Diis immolentur, abduci, ingemuit enim verò, dixitque: Siccine & ovibus moriendum est? tamen præstat manere cum ovibus, & quamdiu vivere concessum est, cum tanta concordia ac quiete sub cura & tutela & Pastoris vivere, ac, ubi moriendum est, Diis Sacrificari, atque adeò tam honestà & laudabili morte vitam concludere, quam inter perpetuas rixas & insidias cum bestiis in Silva degere, eorumque vel canum dentibus lacerari, mortèque tam ignobili obire. Sic

dixit, ac tamdiu inter oves cum ingenti solatio vivere permit-
xit, donec & ipse Diis immolatus parem, sicut in vita, ita & in
morte sortem cum ovibus obijt.

Applicatio.

Ex occasione hujus fabellæ excitari Auditores ad pacem
Christianam possunt, dicique, per Hinnulum istum
quemvis hominem Christianum intelligi, qui aliquamdiu in
mundo maligno velut silva deserta & infructifera interbo-
stias, id est, peccatores degens, advertit, in perpetuo vitæ
ternæ simul & præsentis amittendæ periculose stare, imbu-
que aliis tribulationibus obnoxium esse, uti pulchre per
Asceta indicavit, dum l. 3. de Christi imit. c. 12. dixit: *Non
putas, quod homines sæculi huius nihil vel parùm patiuntur
nec hoc invenies, etiam si delicatissimos quaesieris. Sed habet
inquis, multas delectationes, & proprias sequuntur voluptates
ideoque parùm ponderant suas tribulationes. Esto ita sit, ut
beant, quidquid voluerint, sed quamdiu putas durabit? Est
quemadmodum fumus deficient abundantes in sæculo, & non
erit recordatio gaudiorum. Sed & cum adhuc vivunt, non
ne amaritudine & tadio ac timore in eis quiescunt. Ex causa
namque re, unde sibi delectationem concipiunt, inde dolor
nam frequenter recipiunt. Iuste illis fit, ut quia inordinata
delectationes quarunt, & sequuntur, non sine confusione & amar-
titudine eas expleant. O quàm breves, quàm falsa, quàm in-
ordinata & turpes omnes sunt! Hæc ergo considerans Christi-
anus si mundum (mente saltem, implendo illud S. Pauli
Cor. 7. reliquum est, ut, qui utuntur hoc mundo, tanquam
utantur) deserere, ovibusque, id est, justis & electis homi-
bus se associare statuat, videbit & hos absque tribulatione
non vivere, cum scriptum sit act. 14. Quoniam per multas tri-
bulationes oportet nos introire in regnum DEI; ideoque Chri-
stus ipse velut caput Electorum de se Luc. 24. dixerit: *Non
hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. De
de denique resolvit se ad vitam Justorum vivendam, tribu-
tionesque, quibus carere non possumus, æquo & alacri ani-
mo, amore DEI magis, & æternæ felicitatis consequendæ
pœnæque temporalis expiandæ tolerare, quàm cum Peccato-
ribus easdem adversitates ex necessitate duntaxat, sine libe-**

tio, sine fructu, sine spe præmij sustinere, & insuper æternas aliquando pœnas tolerare. Quæ omnia paulò fusiùs explicata non modicum Auditoribus solatium, roburque ad adversa, quibus plerique abundant, æquiori animo toleranda conciliabunt.

Conceptus Tertius.

Utilem etiam ad mores reformandos fabellam Æsopus, & ex eo Hermannus Hugo in piis desideriis lib. 2. de duobus Musculis, urbico & Silvestri seu Rustico narrat; quòd scilicet cum Musculus Urbicus Rusticum visitasset, & non nisi panem caseumque mucidum, veluti ruris delicias, oppositum cum fastidio gustasset, citò inde se proripiens Rusticum Musculum vicissim ad urbem invitârit, meliòri longè epulo delictis excipiendum. Cessit igitur invitationi Musculus Rusticus, & ubi Civitatem cum Socio attigit, in penum omni ciborum genere instructissimam ductus, in medio Paradiso se habitare, felicitatemque ipsam obtinuisse credebat; verùm cum paulò post felen insidiantem conspexisset, & vix in cavernulam cum Socio dilapsus vitam servâisset, valedicens urbico musculo, tuas, inquit, tibi deinceps delicias tu habero, non invideo; malo equidem ego mucido meo pane caseoque cum securitate gaudiòque victitare, quàm tuis deliciis cum tanto vitæ amittendæ periculo abundare.

Applicatio.

Hujus fabellæ occasione poterunt Conscientiæ malæ & bonæ fructus explicari, & per Urbicum quidem Murem Divites, Ambitiosi, Luxuriosi, aliique similes Peccatores intelligi, qui, licet sibi deliciis abundare videantur, perpetuis tamen conscientiæ stimulis fodiuntur, atque in vitæ beatitudinisque amittendæ certo periculo versantur, quæ omnia non possunt non insuavem & miseram eorum vitam efficere, id quod Dionysius Rex Syracusanus puchrè olim Damocli servo suo, practico exemplo ostendit; cum enim hic assiduò felicitatem Regis sui deprædicaret, Rex mensam omni ciborum genere, potùque suavissimo instructam apparari eique Damoclem in Regia sella aslidere, jussit, sed ita ut pendentem ex setâ equi nudum gladium, capiti que imminentem aspiciere

aspicere cogeretur; quem ubi Damocles conspexit, omnem ei ad regias epulas appetitum extinxit. Quare à Rege ad felicitatem regiam gustandam animatus respondit: & quomodo felicem me reputare possum, qui in tanto vitæ periculo me constitutum, gladiumque veritatis meo imminentem conspicio? atqui eandem inquit Rex, scito meæ felicitatis esse sortem. Abundo quidem & ego opibus, honoribus, Voluptatibus ac deliciis, sed dum imminentem vertici meo gladium Hostium, Æmulatorum, & ipsius vindictæ divinæ conspicio, omnis & illi deliciarum istarum appetitus & voluptas extinguitur. Ut adeò verè dixerit Thomas Kempensis l. 2. c. 4. & 6. *Mala conscientia semper timida est & inquieta. Et: Mali nunquam veram habent latitiam, nec internam sentium pacem, quia non est pax impiis, dicit Dominus. Et si dixerint: In pace sumus, non venient mala super nos, & qui nobis nocere audebit? ne credas eis, quoniam repente exurgeat ira DEI, & in nihilum redigentur actus eorum, & cogitationes eorum peribunt. Verbo: si est alicubi tribulatio, & angustia, hoc melius novit mala conscientia.*

Per Rusticum murem intelligitur bonæ conscientie homo, qui mundum & mundanas delicias, animo solum contemnens, modicòque victu & amictu contentus id unum agit, ut per Mandatorum divinorum observationem, vitam Christiano homine dignam vivens, æternas verasque sibi delicias præparet. Quamquam etiam in hac vita ejusmodi homo suâ delectatione non careat: non enim est oblectamentum super cordis (non ullius peccatoris nos arguentis) gaudium. Et ut clariùs dixit Thomas Kemp. l. 2. c. 4. *Si est gaudium in mundo, hoc utique perfidet puri cordis homo.* Unde Salomon Prov. 15. dixit: *Secura mens quasi iuge convivium.* Rectè ergo talis homo concludit cum Rustico Musculo, illamque Salomonis sententiam Prov. 17. usurpari: *Melior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio.*

Conceptus Quartus.

Poterit etiam non inutiliter narrari Fabella seu Apologus olim Josaphato Regi à Barlamo narratus, uti in vita ipsius

c. 19. habetur; ubi ait, comprehensam aliquando ab Aucupe Philomela fuisse, quam cum ille mox jugulare veller, rogasse ipsam, ut hac vice liberam ipsam dimitteret, velle enim se illi ejusmodi præcepta tradere, quæ, si servaret, summam haud dubiè felicitatem esset consecuturus. Acceptâ ergo conditione, tria, inquit Philomela, servato in omni vita tua. Rem, quæ apprehendi nequit, apprehendere ne quærito: rem, quæ non est verosimilis, ne credito: rem perditam, quæ recuperari nequit, ne plangito. Dimissa igitur post has doctrinas datas avicula arbori insedit, Aucupemque sic affata est: Vx tibi, quantum bonum perdidisti! etenim gemmam in ventre fero. Ovo Struthionis magnitudine non imparem, quam si me occisâ exenisses, totâ vitâ tuâ beatus fores. Quo audito cum ille lamentari, aviculamque ad se iterum allicere inciperet, subridens illa, hem, inquit, quàm parùm doctrinas à me traditas observes, dum & credidisti, talem gemmam me in utero ferre, quod est incredibile: & demissam me de nido capere voluisti, quod facere nequis: & rem perditam, quam recuperare non potes, inutiliter planxisti.

Applicatio.

Ex hac fabella utilissimæ tres doctrinæ erui, ipsâque præcepta à Philomela data in hunc moralem sensum explicari possunt.

1. Rem, qua credibilis non est, ne credito: atque adeò, cum credibile non sit ullam rem creatam satiare posse appetitum cordis & animæ tuæ (hac enim, teste S. Bernardo, ad imaginem DEI facta, ceteris rebus occupari potest, repleti non potest; capacem enim DEI, quidquid DEO minus est, replere non potest) noli id credere, sed, ut monet pius Asceta l. 2. c. 5. nil magnum, nil altum, nil gratum, nil acceptum tibi sit, nisi parè DEVS aut de DEO sit. Totum vanum existima, quidquid consolationis occurrit de creatura solus DEVS æternus & immensus, implens omnia, solatium anima, & vera cordis lætitia. Dic ergo cum S. David Ps. 36. animæ tuæ: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

2. Rem, qua apprehendi nequit, noli velle apprehendere: atque adeò cum in hac vita nemo unquam immunitatem à tribulationibus habuerit, nec habere possit (cum omnes oporteat

teat per multas tribulationes introire in regnum DEI) nolite eam velle acquirere, sed potiùs illa tibi Authoris pij verba l. 2. c. 12. applica: *Credis tu evadere, quod nullus mortalium potuit praterire? quis Sanctorum in mundo sine tribulatione fuit? nec enim IESVS Christus Dominus noster unà horà sine dolore passionis fuit, quamdiu vixit. Oportebat, ait, pati Crucis, & resurgere à mortuis, & ita intrare in gloriam suam. Et quomodo tu aliam viam quæris, quàm hanc regiam viam, quæ est via crucis? Erras, erras, si aliud quæris, quàm pati tribulationes; quia tota vita ista mortalis plena est miseriis, & circumsignata crucibus. Pone te ergo sicut bonus & fidelis servus Christi ad portandam viriliter Crucem Domini tui, pro te ex amore crucifixi. Calicem Domini affectanter bibe, si amicus eius es, & partem cum eo habere desideras.*

3. Rem, qua recuperari nequit, ne plangito; hinc enim tempus præteritum reparari non potest (volat enim irrevocabile tempus; & ut quidam cecinit:

Damna fleo rerum, sed non fleo damna dierum,

Rex poterit rebus succurrere, nemo diebus.)

imprudenter facit, qui illius amissionem immodicè plangit, sed potiùs exemplum Apostoli sequi debet Philip. 3. *qua quædam retrò sunt obliuiscens, ad ea verò, quæ sunt priora, fixatendens seipsum.* Aut certè ejusdem consilium servare dicentis Eph. 5. *Videte, Fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Redimet autem præteritum etiam tempus quisquis ex ejus amissione occasionem sumserit, postea tempus accuratiùs observandi, & singulari fervore, quem alioqui fortè non suscepisset, sua opera facere studuerit.

Conceptus Quinus.

Poterit etiam narrari cum fructu fabella seu Apologus, quem Jacobus Bidermannus in suis Acroamatib. act. 2. narrat, quòd scilicet cum Draco quidam Speluncam subijisset, & Rusticus saxum eidem objecisset, ille summis precibus Ratiocum, ut saxum removeret, institerit, & verò etiam periculis, postquam mercedem, quam Mundus benefactoribus dare consuevit, se quoque daturum promisit. Dimissus ergo cum Rusticum occidere vellet, hanc esse Mundi mercedem pro-

promissam asserens, ut benefacta malefactis rependantur; Rusticus autem hoc esse contra fidem datam contenderet, tandem unanimiter statuunt Mundum perambulare, & quæ merces ab eo dari consueverit, apertius indagare. Dum ergo progrediuntur, in strigosum equum incidunt, quem, dum interrogant, quid isthic agat? respondit is, se post diuturnam & fidelem operam Domino præstitam tandem domo expulsum, nunc Excoriatorem & mortem expectare. Ab hoc digressi paulò post canem aspiciunt fune ex arbore suspensum, & seminecatum, quem quærentes, ob quam causam hic suspensus esset, respondentem audiverunt, hanc esse mercedem, quam Dominus ingratus ob fidelissimum servitium annis sat multis præstitum tandem obtulisset. Jam altero ergo teste convictus Rusticus cum ad tertium appellaret, tandem in vulpeculam incidit, quæ intellectâ lite arbitrum agere, sententiâque pronunciare iussa, seducit Rusticum, & liberationem occultè spondet, si dimidium gallinarum, quas domi in corte aleret, in grati animi argumentum promitteret. Annuente illo, ad Draconem conversa ait, se justum iudicium ferre non posse, nisi locum, in quo Draco latuisset, inspiceret. Ingressus ergo iterum in cavernam Draco, monente Rusticum vulpecula, subito iterum per saxum advolutum includitur, frustra que liberationis beneficium exposcit. Dum verò postea & ipsa vulpes cum Rustico ad domum illius properat, & promissas gallinas expectat, suasu uxoris, fuste ab eo occiditur, suâque morte confirmat, quæ merces à Mundi huius Amatoribus aut Cultoribus offeratur. Quæ omnia fassus adud Bidermannum narrata videri possunt.

Applicatio.

Ex hac Fabula, pulchra desumi potest occasio, simul & beneficium Redemptionis, & hominum ingratos animos explicandi.

1. Ergo ostendatur, quâ ratione etiam humanum genus in antro seu Limbi, seu Purgatorij fuerit inclusum, grandi saxo peccati originalis obvoluto firmatum. Et quomodo Christus ad preces tam ardentes, quibus assiduò clamabatur: *Rorate cali desuper, & nubes pluant iustum: aperiatur terra, & germinet Salvatorem*: per SS. Passionem suam hoc saxum a-

move-

moverit, genusque humanum liberarit, beneficio tantò majori, quantò majorem laborem & dolores in eodem peccato removendo fuerat perpeffus.

2. Demonstret, quas gratias ipsi referat humanum genus; quòd iterum eundem crucifigat, & morte gravissima & turpissima, nempe peccati actualis mortalis ipsum occidere non vereatur; id quod quotidianà experientià tot Hominum accepti beneficii immemorum, iterumque post Confessionem statim peccantium probari potest.

3. Ostendat, quam gravis sit hæc accepti beneficii oblitio, quàmque merito vereri ejusmodi homines possint, ne ad morem hujus Draconis in eodem iterum antro, ex quo liberari fuerunt, recludantur, & æternis suppliciis ingrati animi crimen luant.

Conceptus Sextus.

Narrari item potest, quod Gottschalcus Ordinis Erem. s. Augustini f. 100. & ex eo Jo. Major in Spec. Exempl. tit. 1. dic. temer. ex. 1. narrat in hæc verba: Paterfamilias quidam Asino insidens foras cum Filio ibat, Filius vero pedester ambulabat. Occurrit eis una caterva hominum pergruantium, murmurantium, & dicentium: Quomodo ille inveteratus malorum dierum equitat in asino, & permittit illum Juvenem fatigari? Quod audiens Pater (sicut vir erat, qui hominum vana dicteria semper vitare cupiebat) Filio suo dixit: Fili, hominibus non placet, quòd Asino insideam, tu ergo eum ascendere debes. Quod jussu Patris Filius fecit. At eis occurrit alia caterva hominum etiam murmurantium & dicentium: Ecce qualiter Juvenis iste Asino supersedit, & permittit illum senem pedestrem ire. Quod etiam Filius (Patri in eo similis) intelligens Patri suo dixit: Pater, neque eis placet, quòd ego Asino insideam. Præstare igitur videtur, ut uterque insideat; quo facto, ut priùs, occurrit multitudo hominum dicentium, eos asinum obruere, eosque merito pudere debere. At ubi hoc rursus animadvertissent, decernunt, ut uterque ex asino descendat; quo facto nihilominus occurrit turba alia, eosque graviter imprudentia & stultitia arguit, quòd nimirum asinum vacuum ire sinerent, cum tamen ipsi itineris laboribus non parum defatigati essent.

tui, à quibus facile per asinum liberari possent. Pater autem tam varias hominum sententias expertus, ultimum tentare satius esse duxit, ut scilicet ligatis pedibus anterioribus & posterioribus asini, & pertica per eos ducta, asinum ipsimet portarent, quod etiam fecerunt, quibus etiam obviam facta est cachinnantium hominum multitudo inquentium: Quàm hi delirant, cum namque ab asino portari deberent, ipsimet eum portant. Tunc gnato Parens dixit: Omnibus placere laud possumus: faciamus, quod placet nobis, & non culemus. Hucusque Gortischalcus.

 Applicatio.

Ex hac fabula occasionem sumat indicandi potiore rationem, cur tam multi tam parum in perfectione Christiana proficiant, nimirum quia respectus humanos nimium attendunt, illudque: Quid dicent homines? nimis invalescere sinunt, id quod inductione variorum exemplorum facile ostendi potest. Quapropter ostendenda illis in primis est, impossibilitas placendi omnibus hominibus, cum etiam Christus & S. Paulus omnibus omnia facti, hominum de se sinistra iudicia evitare non potuerit. 1. Pariter ostendenda erunt damna, quæ ille incurrit, qui omnibus placere cupit, nimirum ut, dum tam varias Ideas sibi proponit, & imitari conatur, deforme monstrum producat; id quod ingeniosè Polycletes Sculptor quondam ostendit, dum imaginem à se pulcherriam ad regulas artis depictam à variis reprehendi advertens, aliam huic penitus similem pinxit, & ante domum velut exiccandam exposuit. In qua cum iterum nunc longitudinem, nunc breviter nunciam, nunc aliud carpi audiret, digressis illis, qui carpebant, membrum quodvis, prout illi depingendum censebant, emendavit & efformavit, cum autem ob summam membrorum omnium difformissima imago & turpissima prodijisset, imaginem suam priorem juxta hanc statuit, dixitque accurrentibus: En cives, quale opus efficiatur, si vestra in pingendo iudicia attendam: quàm autem perfectum & elegans sit opus, quod à me secundum artis meæ regulas est elaboratum. 3. Hortetur, ut deinceps soli DEO placere satagant, utpote cui placere facillimum (ut qui non opus, sed animum attendit) utilissimum (cum majus ille præ-

præmium offerat, quàm ab ullo hominum sperari possit) & honestissimum est (cùm solum ipsius iudicium omnium hominum collectivè sumptorum iudicio longissimè sit anteponendum.

Conceptus Septimus.

Denique potest etiam narrari Fabella de Sartore illo, qui quondam summo mane, cum maxima formidine, & omnium membrorum insolito tremore ad Confessarium accurrit, atque, ut Confessionem suam excipere veller, rogavit. Quam cùm absolvisset, quæsi vit Confessarius, quæ causa tanti timoris, & acceleratæ Confessionis foret, cui Sartor respondit, visum sibi in somno atrocissimum & nigerrimum Dæmonem fuisse, qui assiduò vexillum aliquod super caput suum velut triumphans rotârat. Quo audito, ulterius quæsi vit Confessarius, an non advertisset, quâ ex materia vexillum illud fuisset confectum? adverti utique, inquit Sartor, ex meris fragmentis, quæ variis furtis subduxeram, fuisse confarctatum. Cui Confessarius: facile ergo nunc apparet causa hujus triumphæ hostilis, & tui tremoris. Voluit nempe ostendere, per hæc furta te ab eo devictum. Rectè ergo egisti, hæc peccata tua confitendo, teque iterum Hostis potestati eripiendo. Deinceps tamen sedulò caveto, ne furta hæc repetas, atque hoc tantò faciliùs, certiusque observes, Puero tuo præcipi, ut, quoties deinceps materiam pro vestibus scindis & præparas, aures tuas vellicet, clametque: *Magister, memento vexilli.* Promisit hoc se facturum Sartor, & verò etiam aliquoties hoc medium sibi valde profuisse expertus est ad manus ab ejusmodi furtis continendas. Verùm cùm aliquando materiam quandam auream & valde pretiosam scinderet, & periculum advertens, semel iterumque altiori voce clamaret: *Magister, memento vexilli:* respondit tandem cum indignatione Sartor: Cessa nunc clamare; neque enim aurea in illo vexillo fragmenta à me conspecta sunt. Sicque manus suas iterum fragmentorum hujusmodi subtractione commulavit.

Applicatio.

Ex hac fabella occasionem sumere potest Concinator duplici-

duplicem doctrinam proponendi Auditoribus. 1. Quantum triumphum de Peccatore, jubilumque celebret Dæmon, si fortè eum per assensum in peccatum in suam redegerit potestatem. Quòdque hujus triumphii, & vexilli, quod supra Peccatorem rotat, materia ab ipsomet Peccatore offeratur. Cum ergo jam nunc iterum per Confessionem ab hoc vexillo se subdlexerint, quàm æquum sit, ut ipsi etiam sibi verba illa: *Memento vexilli*: in omni occasione peccandi occinant, atque hoc freno à relapsu in peccatum contineant. Quem in finem proderit, accuratè aliquando ponderare, quàm durum & turpe sit sub hoc vexillo Diaboli militare, ubi pro honore summa infamia, pro solatio summi dolores, pro spoliis summa paupertas, pro præmio summi cruciatus acquiruntur.

2. Ostendat, quantò satius sit sub Christi vexillo militare, ut qui & dignitate, & sanctitate, & felicitate, & liberalitate, quàm suos Milites fovet ac recreat, infinities Luciferum excedit: qui integrum, idque felicissimum regnum suis Militibus in præmium pollicetur: qui ipse exemplo præit, & ad prælia Domini pugnanda quàm verbis, quàm factis roborat: qui ad jugum suum suave & onus leve tam amicè invitat. Excitentur proinde Auditores, ut, quandoquidem hoc tempore post factam confessionem deserto Luciferi vexillo ad ipsius Christi vexillum iterum confugerunt, deinceps, quoties occasio peccandi se offert, semper hujus vexilli memoriam reficiant, sibi que dicant: *Memento vexilli Christi*, nam, ut S. Cyprianus de duplici Martyrio ait, *huius militiam professus es ad salutare lavacrum, huic dedisti nomen, huius Sacramentis initiatus es, accepisti donativum & pignus Spiritus, ne quid dubitares de promisso stipendio, simulque Diabolo denuntiasti perpetuas inimicitias, renuntiasti omnibus illius pompis ac voluptatibus, exsufflasti, exsibilasti, iurasti in verba Redemptoris. Et nunc tam vili mercedula sollicitatus, sponte defecis ad eum, à cuius tyrannide te Christus suo sanguine redemit, cuius iam totus es factus?*

CAPUT IX.

DE PRAXI CONCIONES DE PASSIONE DOMINI HABENDI.

§.I. Quid